


EXPOSITIO
PARAPHRASTICA
extracta à medulla litteralis interpretationis Cantici Magnificat; pro mysterio Immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ.

ET AIT MARIA.

1 *Magnificat anima mea Dominum.*

2 *Et exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo.*

3 *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

4 *Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius.*

5 *Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.*

6 *Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.*

7 *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.*

8 *Esurientes impleuit bonis: & diuites dimisit inanes.*

9 *Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.*

10 *Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius in sæcula.*

EXurgens *Maria*, post Angelicam saluta[tionem]
ac Verbi Diuini Incarnationem abijt in [mon-]
tana Iudææ cum festinatione, vt iam co[ncep-]
tum, & animatum Præcursorem Domini li[bera-]
ret ab originaria macula. Quod præsentien[s, ac]
timens Lucifer, quasi coluber in via, ce[rastes]
in semita, in toto itinere obseruauit v[estigia]
eius, et insidiatus est calcaneũ illius. Ig[itur in-]
gressa domum Zachariæ salutauit Elisabe[th;]
& factum est, quòd vt audiuit salutatione[m Ma-]
riæ Elisabeth, exultauit infans Ioannes i[n vte-]
ro eius, & exiliuit gaudio magno, tanqu[am so-]
lutus, & absolutus à vinculo, & seruitute [pecca-]
ti originalis, sanctificatus & liber ab il[la pri-]
mæua culpa filiorum Adam, qua tenebat[ur op-]
pressus, & captiuus; vt miserabilis pecca[ti ser-]
uus ac mancipium. Cùmque de hoc singu[lari be-]
neficio filio suo præstito vetula, & ste[rilis ma-]
ter hilaris, & gaudens, voce magna, & [humili-]
tate profunda resalutasset Angelorum, [& ho-]
minum sacratissimam Reginam, & mag[nas]
illi redderet gratias, appellando ipsam [bene-]
dictam inter mulieres, beatam, atque m[atrem]
Domini Dei sui: hoc senioris & cognat[æ]
exemplo, quasi excitata iuuencula ac im[macu-]
lata cœli, & terræ Domina, opportunam, [op-]
tã, & congruam occasionem arripiens; vo[luit si-]
militer Deipara gratitudinem suam osten[dere,]
atque patefacere dona, & priuilegia singu[laria,]
quæ ab omnipotenti Dei manu etiam ipsa [quon-]
dàm perceperat, & sic stans iunctis ma[nibus]
oculis in cœlum leuatis dixit, *et ait Maria.*

1 *Magnificat* etiam & exaltat, gratificat p[rædicat]
ac glorificat *anima*, quæ hoc corpus info[rmat, &]
hanc carnem animat, spiritualis, & *immo[rtalis]*
substantia *mea* semper, & nunquam alteri[us ser-]
ris, scilicet, peccati; ex eo quod ipsamet ia[m pe-]
nitùs liberauit à communi contagio, & [infir-]
mitate; ac immunem fecit à tyrannico dom[inio,]
& dura seruitute originalis maculæ, *Dom[inum]*
factorem, & creatorem suum, sub cuius [s]
dominio & potestate semper, est & fuit.

2 Nam sicut modò Ioannes, sic *et* etiam [quon-]
dam in gaudio, ac lętitia magna *exultau[it]*
solùm in vtero matris meę anima mea infu[sa, sed]
etiam *spiritus* creatus *meus* in ipsamet sua [crea-]
tione, ac productione exiliuit in gaudio, [&]
tatus est *in Deo* ipso tanquam in singulari S[alua-]
tore *salutari* liberatore, ac Redemptore *me[o*, par-]
ticulari, quia sicut me, nullam alteram cr[eatu-]
ram redemit.

3 *Quia* tunc quando spiritus à Deo infunde[ndus]
erat organizato corpori meo, *respexit* o[culis]
suæ miserationis, ac infinitæ pietaris, vt [præue-]
niret, præueniret, ac subleuaret illam *hum[ilita-]*
tem, deiectionem, vilitatem, opprobrium, & [mi-]
seriam naturæ humanæ, quæ contrahenda, [& sup-]
positanda, & futura erat *ancillæ*, & Matri [suæ;]
vt illam præseruaret à ruina, & lapsu, atque [custo-]
diret ab hereditaria macula: *ecce enim* istu[d]
& est admirabile, stupendum, atque inaud[itum]

prodigium, & *ex hoc* sanctificationis meæ raro, & inaudito modo, inusitato præseruationis miraculo, *beatam* sanctam, puram, & immaculatam *me* in particulari singulariter, & præcisè *dicent*, priuata & publica voce *omnes* nulla excepta in genere, nec in indiuiduo, præteritæ, præsẽtes, ac futuræ *generationes* mundi.

4 *Quia* tunc animæ, & spiritui meo *fecit*, quod nunquam alicui puræ creaturæ concessit, sed solum *mihi*, vt absolutè, simpliciter, & omnibus modis dicantur *magna*, illa duo mysteria, præseruationis animæ, & integritatis corporis, quæ in Conceptione passiua, & actiua mea operatus est Deus; *qui* etiam ex his duobus priuilegijs mihi cõcessis ostendit, & cognoscetur quã *potens* semper fuerit, & *est* excelsus Dominus noster; *et* pariter glorificabitur *sanctum* ac ineffabile *nomen* suum; quando; & vbicunque prædicata fuerint hæc *eius* mirabilia, & magnifica opera.

5 *Et* propterea *misericordia*, pietas, gratia, & benignitas *eius* quæ diffussa fuit in mea generatione benedicta, ac sanctificata à Deo, dilatabitur *à progenie* ista mea *in* alias fideliũ *progenies*; quia hoc quòd principium sumpsit in Ioanne Baptista posteà prosequetur in aqua baptismi, & Spiritu Sancto; siquidem ex Conceptione mea cœpit parare remedium contra peccatum originale *timentibus*, & confitentibus *eum*: sicut ab Euæ progenie deriuata fuit macula in alias mundi progenies.

6 Etenim ille supremus artifex qui *fecit* in prima mundi & rerum creatione *potentiam* magnam *in brachio*, & spiraculo *suo* vt crearet primos homines Adamum, & Euam, quos postea propter inobedientiam, & patratum primum peccatum elationis, vt rectus iudex *dispersit* de paradiso per totum terrarum orbem, tanquam *superbos* exulatos à regno, & patria sua; in hac dira sententia non fuit oblitus misericordiæ; nec proiecit eos à facie sua totaliter nudos, sed vestitos corpore & anima, siquidem pro veste corporis fecit perizomata, pro anima verò seu *mente* dedit illis quandam pollicitationem, repromissionem, vel spem ad consolationem *cordis* & animi *sui* in illo exilio, scilicet, quòd quædam mulier in semine suo contritura erat caput serpentis, vel dęmonis, qui eos seduxit, & totum ipsorum semen maculauit.

7 Et ille qui ex eadem benignitate sua, in semine meo, ac mea Conceptione *deposuit* deiecit & prostrauit *potentes* illos Dęmonem, Serpentem, & Peccatum originis *de sede* illa iniquitatis, & malitiæ generationis humanæ in qua fuerunt à principio mundi sęui dominatores filiorum Adam, iam ipse misericors *et* compatiens, eos *exaltauit* educendo deiectos, ac derelictos in hoc exilio, & lachrymarum valle *humiles*, & humiliatos homines à tyrannico illo imperio, ac dura seruitute mediante sua & mea immaculata Conceptione.

8 Propter quas *esurientes* steriles & absque filijs Annam, Elisabetham, & Mariam (nam & ego sterilis futura eram ratione virginitatis & voti) *impleuit*, & fęcundauit *bonis* liberis, ac priuilegiatis filijs, scilicet, Domino absque originali peccato per naturam; ancilla præseruata per gratiam; & seruo in vtero sanctificato: *Et diuites* fęcundos, & opulentos filiorum procreatione in tota Naturali ac Veteri lege *dimisit* vacuos & *inanes* huius priuilegij singularis, præseruationis, & sanctificationis quia futurum erat solius legis Gratiæ.

9 Atque hoc suum admirabile opus contra peccatum originale, quod in me incepit, & in se prosecutus est, nunc mirificè compleuit, Verbum Diuinum humanatũ absque originali peccato conceptum, siquidem *suscepit* hîc coram nobis ex meis visceribus; vt verus *Israel* & luctator fortis deuicto Angelo tenebrarum in singulari certamine; & eripuit *puerum* Ioannem in vtero tuo existentem, ac fecit *suum* per sanctificationem; quia antea peccati originalis seruus ac culpæ mancipium erat: & hoc operatus est *recordatus* illius magnæ *misericordiæ* præseruationis meæ, ac redemptionis *suæ* specialis factæ in generatione mea.

10 In quibus omnibus adimpleuit *sicut* bonus & fidelis Dominus quod *locutus* et policitus *est* pro reparatione, ac redemptione naturæ humanæ *ad patres* illos primos, & naturales *nostros* Adamum, & Euam; deinde *Abraham* vnicè, & particulariter, quia fidelis credidit liberationem filij sui ab eminenti gladio, & promulgata mortis sententia, hanc sub iureiurando recepit repromissionem, *et* illam transtulit & dedit *semini*, quia ego eram in semine *eius*; siquidem illa magna & magnalia semel & iterum à Deo promissa *in sæcula*: in illis inquam Adami, & Abrahæ sęculis in SEMINE meo signatè fuerunt adimpleta, & completa ad litteram. Dicente ipso Deo serpenti: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum & SEMEN illius ipsa cõteret caput tuum & tu insidiaberis calcaneo eius.* Et ad Abrahamum. *Per me metipsum iuraui, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi & multiplicabo SEMEN tuum sicut stellas cœli, & velut arenam quæ est in littore maris: possidebit SEMEN tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in SEMINE tuo omnes gentes terræ, &c.*

HÆC Paraphrastica expositio, est cõclusio quædam breuis, scopus, ac medulla extracta ex libro edito à R.P.F. Petro de Alua & Astorga, Lectore iubilato Supremæ Inquisitionis qualificatore, cuius titulus est: *Noua & litteralis expositio cantici Magnificat, pro mysterio Immaculatæ Conceptionis Sacratissimæ Virginis Mariæ, &c.* Sic fratres mei: Laudate eam in tympano, & choro, laudate eam in chordis & organo: date ei laudes de fructu manuum suarum: & laudent eam in portis opera eius; vt sit gloria Deo Virginique Mariæ.